BSERVATIONES QUÆDAM
DE USU EXTERNO CHININII
ET MURIATICI ET SULPHURICI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
ONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
BEROLINENSI
UT
IMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
D. XXIX. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST AUCTOR

FRID. CHRIST. CAROL. LEHMANN
ERFORDENSIS.

OPPONENTIBUS:
W. HERMANN, MED. ET CHIR. DD.
W. SINSTEDEN, MED. ET CHIR. CAND.
F. SCHIELE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FEISTERIANIS ET EISERSDORFFIANIS.
MDCCCXXVIII.

Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή.

Hipp. Aphor. init.

VIRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

J. L. HOELSCHER,

JURI DICUNDO PRAEFECTO ET A RE

JUSTITIARIA CONSILIARIO.

FAUTORI SUO

HANC

PARVAM GRATI ANIMI TESSERAM

OBTULIT

AUCTOR.

Prooemium.

Reputanti mecum, quid sit, quod dissertationi, qua medicinae doctoris gradum adipiscar, maxime conveniat, varia variarum rerum mihi oblata est scribendi materia. In nosocomio enim caritatis, quod hac in urbe floret, in quo unum per annum versabar, et in quo, praesertim si incrementa spectare velis, quae is, qui in medicinae adhuc versatur quasi vestibulo, inde capere commode potest, nihil fere melius nihilque praestantius exstat, tot tantaeque erant occasiones, quibus quotidie non solum medicam, quam hucusque mihi paraveram, scientiam et augere et amplificare potui, verum etiam et experiendo et intuendo, multa, si dictu fas est, cognovi. — At nihil magis animum meum tenuit attentum, quam febris intermittens, cum propter magnum eorum numerum, qui hoc morbo, mensibus jam nunc peractis, affecti erant, tum propter variam medendi rationem, variumque eventum, modo prosperum, modo vanum, qui in hoc morbo sese ostendit.

Inter alia, eaque permulta remedia, sicuti ferrum zooticum, Cuprum ammoniacale etc. China potissimum, prout ante, aut post paroxysmum, aut in ipso momento, quo febri tentantur aegroti, hoc adhibeas remedium, et Chininium externa applicatione usurpatum, maximam mihi movit admirationem. Hinc factum est, ut totius hujus materiae explicandae, consilium jam diu conciperem. Sufficiat tamen in hoc opusculo, quod brevi tempore conscribere coactus eram, de observationibus agere, quae Chininio, externa applicatione, ad hihito, nituntur. Serius vero, quae de aliis hujus morbi sanandi remediis observata a me sunt, in publicum proferre mihi est in animo; qua in re explicanda summam diligentiam adhibiturum me esse profiteor.

Haec omnia, ut multo imperfectius cognossem minusque expertus essem, nisi maxima superioris medici, mihi praefecti, Doctoris Keylii benevolentia, pro egregia sua humanitate, consilio, gratia, doctrina me sublevasset, ita viro eruditissimo atque experientissimo vix parvam quandam pietatis, qua animus impletur, umbram, offerre possum.

Cutis systema duabus praeest et secernendi et absorbendi functionibus, quarum illa majoris, quam haec, ad organismum servandum, momenti est. — Absorptio numerosis vasibus absorbentibus, quae sub ipsa cute suam sedem habent, efficitur; quare, si materiae tenuitas permittit, ut epidermidem penetret, transitus ad totum systema lymphaticum locum potest habere, quo universus organismus vel intimus afficitur. Prout remedium adhibendum reive finis postulat, cutis systemate hac in re vel omnino, vel ex parte tantummodo utimur. Boy, Weickart, a Frank, ut febres intermittentes sanarent, Chinam in cataplasmatum forma in regione epigastrica adhibuerunt. Ac ne opus quidem est, ut corpus ipsum attingatur; videmus enim ex jucundissima observatione Delpechii [1]),

1) Tromsdorf N. Journal der Pharmacie. III. Heft 2. Seite 560.

Francogallorum negotiorum curatori, qui aegrotum febri intermittente vehementer pressum, cum in corticis peruviani habitaverit receptaculo, convaluisse vidit. In pluribus aegrotis hoc repetiit experimentum, et felicissimo quidem cum successu. Corticum virescentium multo major effecta erat fermentatione in receptaculis temperatio, atque in reliquis domicilii locis. Quanquam negari quidem non potest, aliquam partem a respirationis organis absorptam esse, tamen maximam aëris partem in cutem vim suam exercuisse, concedendum est.

Hufeland [1]), in febribus intermittentibus infantum externum Chinae usum laudat.

Pointe [2]), Lugduni, in iis febre laborantibus intermittente, qui neque corticem Chinae, neque Chininium ferre poterant, hujus, quod postremo loco posui, remedii, quotidie bis quatuor usque ad novem grana in gingivam internamque malarum partem optimo cum eventu infricanda curavit.

---

1) Hufeland über einige Kinderkrankheiten. Leipzig 1792. Seite 200.

2) Compte rendu de traveaux de la soc. de Med. etc. Lyon 1826. — Heckers litter. Annalen. März 1827. S. 351.

Epidermis sine dubio magnum est absorptionis impedimentum, quippe quae tamquam alienum corpus inter medicamentum et vasa absorbentia versetur. Neque dubitari potest, quin epidermis remota, priusquam medicamentum adhibeas, remedia multo facilius celeriusque recipi patiatur. Jam ex Fontanae observatione atque experimentis patet, quodlibet fere medicamentum, cujus digestio non sit necessaria, hac ratione esse efficacissimum.

Lesieur [1]) primus erat, qui therapia respecta, postquam epidermis vesicatorii, sive alius qualiscunque remedii auxilio erat remota, haec ipsa medicamina recipienda, protulit. Cujus disputationi septemdecim adjunctae sunt observationes, quasque in Hôpital Cochin, in Maison royale atque in Bicêtre de „methode endermique" sibi collegit. Maxime inter alia animum advertit ad Chininium sulphuricum, quo varias variorum typorum febres intermittentes sanavit.

Lemberti [2]), Methode endermique ou

1) Archives général de Med. 1826 Juni. — v. Froriep's Notizen. Bd. 15. No. 2. pag. 23.

2) Archives général de Med. May 1824. — Nouvelle Bibliothèque 1826. 10. — Heckers litter. Annalen. Sept. 1827. pag. 68.

emplastro dermique" quae minime negligatur, dignissima est. Cujuscunque generis usus est medicamentis. Ex ejus observatione Chinam ne quadrantem quidem horae partem vim suam retardare constat. Quo auctore praeeunte, internae crurum brachiorumque partes omnium facillime et celerrime medicamenta recipiunt, ita, ut jam in dosi refracta per unguenti pulverisque formam, effectum praebeant.

Martinus [1]), filius, qui in urbe Narbonnensi versabatur, hac ratione vehementissimas febres intermittentes impugnare studuit. Sex nobiscum communicavit observationes in ejusmodi febribus expertas, in quibus aegroti morbo saepius recurrente, maxime erant debilitati. Chininium sulphuricum quinque in casibus optimo cum effectu adhibitum erat, atque in uno tantummodo caruit eventu, quare ad internum Chininii usum confugiendum erat.

In nosocomio caritatis octo aegroti eo fine electi sunt, ut Chininio externe adhibito et sul-

1) Revue médicale Sept. 1827. — Hecker's litter. Annalen. Nov. 1827. S. 362. — v. Froriep's Notizen. Bd. 19. No. 2. S. 27.

phurico et muriatico res cognosceretur. Tum demum remedium esse adhibitum, cum nulla adesset contraindicatio remedia adhibendi febrifuga, jam per se patet. Ceterum omni complicatione febres carebant, duabus exceptis, quas infra in tertia et quarta observatione commemorabo, in quibus affectiones gastricae remediis resolventibus removendae erant. Ex illorum aegrotorum numero uni Chininium sulphuricum, alteri muriaticum in gingivam et in interiorem buccarum regionem inter apyrexiam est infricatum. In reliquis hi sales eo loco, qui imposito emplastro vesicatorio epidermide erat privatus, in auxilium sunt vocati. In variis aegrotis varii electi sunt loci, quibus vesicatorium applicaretur, plerumque tamen regio epigastrica. Vulneri, cum omnibus liberatum esset membranis, pulvere accurate disperso, linteum impositum est ceratum, quo idem est effectum, atque eo remedio, quod Martinus adhibuit et „feuilles de poirée" nominavit. In apyreria tantummodo pulvis inspersus est; paroxysmus, qui exspectabatur, cum deesset, vulneri unguentum simplex est impositum, cum vero intraret, remotis residuo pulvere falsisque membranis, deinde vitatis locis jam semel insper-

sis, pulvis rursus est adhibitus. — Martinus, ut ex ejus videmus observationibus in lucem proditis, quamquam febris jam depulsa erat, tamen vulnus Chininio sulphurico contexit. Quod quidem factum est, ut aegroti quam plurimum in se reciperent Chininium, deinde, ne febris redeat, ut sint tutissimi; quae sanandi ratio non ubique, sed tantum in febribus, quas dicimus malignas, adhibeatur necesse est.

Observatio prima.

Juveni admodum robusto, qui febre intermittente tertiana inde a quatuor hebdomadibus affectus erat, intra apyrexiam duo grana Chininii sulphurici triplicibus vicibus in gingivam internamque genarum partem sunt infricata. Proximus paroxysmus, cum nihilominus haud abesset, sequenti in apyrexia iterum ter grana duo hoc modo adhibita sunt; neque tamen faustus erat eventus, sed febris aeque, atque antea rediit; quam ob causam, ut periculum fiat, drachmae duae pulveris corticis Chinae, Amylo et Opio, ut ille non statim rejiceretur, commixtae, quinquies per clysma sunt adhibitae, ut febris penitus quasi inhaerens,

evelleretur. — In prima infricatione dolor admodum erat vehemens, in sequentibus aegrotus non tantos perpessus est dolores. Pulvis excoriationes haud effecerat.

Observatio secunda.

Quidam, qui nondum juvenili excesserat aetate, decem paroxysmis febris quotidie redeuntis cruciatus erat. In apyrexia bis grana tria Chininii muriatici, gingivam fricando, in se recepit. Primae infricationis minores erant dolores, sed eo graviores, cum iterum infricaretur Chininium; primo enim ortae erant excoriationes. Proximus, quem exspectaveram paroxysmus, haud apparuit, aegrotusque eo momento, quo paroxysmus instabat, nihil aliud, nisi horripilationem sensit. Grana duo eadem ratione applicata, febrem prorsus sanaverunt, aliosque paroxysmos, ne adessent, impediverunt.

Observatio tertia.

Alii juveni, cui jam dudum inhaesit febris intermittens tertiana, quique jam saepius ab ea erat liberatus, eodemque morbo iterum iterumque tentatus erat, unde ejus vires vehe-

menter erant confectae, vesicatorium brachio applicatum est, eique loco, cui deerat epidermis, tempore intercalari, bis unum totidemque duo grana Chininii sulphurici sunt inspersa. Proximus paroxysmus erat aeque, atque antea vehemens. Quamquam vulnus, praesertim iis in locis, quibus impositum erat Chininium, minus aptum erat ad absorbenda medicamenta, nihilominus proxima apyrexia, duo grana triplicibus intervallis sunt imposita; neque tamen hac ratione febris est remota, sed pulveris Chinae interno usu tolli necesse erat. Ortae erant crustae gangraenosae, quapropter vulnus cicatrice obduci non potuit; ita ut aegrotus per quatuordecim dies curandus esset.

Observatio quarta.

Adolescenti, qui jam per quatuor hebdomades febri intermittente quotidiana laborabat, dextrae surae impositum est vesicatorium, et prima in apyrexia bis duo Chininii sulphurici grana sunt inspersa. Cum febri nihilominus afficeretur, et quidem eadem, qua antea, vehementia, tamen in sequenti apyrexia iterum prima conspersio est repetita. Vulnus autem cum

ter esset obligatum, impurum induit adspectum, sphacilavit, neque crusta gangraenosa prius, quam post nonnullas hebdomades, dejecta est; febris eadem cum vi, atque antea, rediit, et mixtura quadam est sanata, quam vir eruditissimus atque peritissimus Doctor Neumannus, qui nosocomio caritatis praeest, multorum annorum usu probatam reperit, quaeque constat ex

Rec: Pulv. Cort. Chinae reg. Unciam unam
— Rad. Zingib. grana quindecim
Vini rubri Uncias octo
M. D. S. Nach Vorschrift.

Quod totum remedium in ipso paroxysmo, qui quatuor duravit horas, est adhibitum.

Observatio quinta.

Aegroto cuidam juveni, qui quatuordecim dies tridua affectus erat febri, vesicatorium in regione stomachi impositum est, et tempore intercalari vulnus bis tribus Chininii muriatici granis est inspersum. Dolor vehementissimus erat, praesertim in prima inspersione. Proximus paroxysmus erat infirmissimus. Postea iterum bis duo grana sunt adhibita. Ex quo tempore febris abfuit. Vulnus erat mundum,

et iis tantum locis, in quibus pulvis fuerat impositus, crustae subflavescentes remanserunt, sub quibus ulcusculi sunt conspecti, prorsus ex ea descriptione, quam Martinus depinxit. Vulnus unguento simplici tectum, paucisque diebus sanatum est.

Observatio sexta.

Neque aliter fuit in adolescente robusto, qui inde a duodecim diebus in febrem intermittentem tertianam inciderat. Uno impetu octo Chininii muriatici grana stomachi loco imposita erant; quod quatuor horas ante paroxysmum, qui exspectabatur, factum est. Dolor, hac inspersione motus, vehementissimus erat, neque tamen ultra semihoram duravit. Paroxysmus quidem aderat, frigus autem atque calor minimi atque multo breviores, quam antea, erant. Sequenti in apyrexia vulnus simpliciter est tractatum, neque febris rediit.

Observatio septima.

Viro jam seniori, qui inde a tribus hebdomadibus triduae febris tulerat dolores, vesica-

torium in regione stomacho vicina impositum est, deinde eadem ratione bis quatuor Chininii sulphurici grana in apyxexia sunt applicata. Cum primo inspergeretur pulvis, dolores erant vehementes, neque tamen aeque graves, atque ii, qui Chininio muriatico provocati erant. Inde ab hoc tempore febris non rediit, et vulnus paucis sanatum est diebus.

Observatio octava.

In alio et quidem juniore, qui jam quinquies triduae febris perpessus erat paroxysmos, in apyrexia bis quatuor Chininii muriatici grana in stomachi vicinitate sunt adhibita. Gravissimus erat dolor, febris tamen remota, vulnusque mox sanatum est.

Epicrisis.

In tribus nostris observationibus Chininium non id, quod exspectatum erat, effecit. Neque facile est dictu, cur in prima observatione, in qua duodecim Chininii sulphurici infricata sunt grana, eadem effectum minus praebuerint. Cum dubitari possit, utrum remedii viribus tribuenda causa sit, an aegroto, remedio illi repu-

gnanti, novissimum crediderim. Iste enim, cum infricaretur pulveris copia, „hoc remedio, inquit, me nunquam a morbo liberatum iri, scio.“ Hinc suspicor, aegrotum, discessu meo, aqua gargarizasse, atque sic evitasse efficacem pulveris absorptionem.

Neque vero tertia et quarta, quas commemoravi, observationes, feliciore eventu erant, sed his quoque causae alienae subfuisse videntur. Febris inveterata erat, ad quam sanandam haud exigua Chininii dosi opus erat. Atque adhibita quidem major dosis erat, videlicet ei, qui in tertia observatione commemoratus est, duodecim grana, in quarta, octo applicabantur; sed cum dispersum pulvere vulnus saepius erat, consentaneum est, pulveris vim, in plures partes divisum, tam efficacem esse non potuisse, quam si pluribus granis iisdemque uno eodemque tempore adhibitis, usus fuissem. Praeterea, quoniam in utraque observatione systema lymphaticum plus minus morbo afficiebatur, quoniam vulnus inde exspectato prius sphacilo perditum erat, satis multae causae suberant, cur absorptio impediretur.

Feliciore, ut opinor, eventu, quatuor, sex octove pulveris grana uno impetu adhibentur,

quorum copia, quoniam majorem excitat vim, febrem plerumque supprimit, metumque removet, ne sphacilo corrumpatur vulnus.

In quinque, quae supersunt, morbi historiis, in quibus nullum absorptioni impedimentum erat, febris repulsa quidem est, sed aegrotorum tres, quando fortasse febris redierit, malle se eadem affectos esse, affirmarunt, quam ejusmodi sanationis cruciatum iterum tolerare. Imprimis Chininii muriatici applicatio multo graviorem, quam sulphuricum, excitavit dolorem.

Quod ad utriusque salis vim et potestatem attinet, uterque eundem effectum praebet, nihilque refert, utrum ad febrem sanandam alterum, an alterum adhibeas.

Quo majores dolores evitentur, et propinquarum partium inflammatio impediatur, cerato quodam commixtum hoc remedium adhibuit Martinus. In nostris observationibus, merus tantummodo pulvis inspergebatur, quoniam ceratum celeriori et certiori pulveris absorptioni obesse videbatur. Pulveris enim absorptio celerrima est, atque paucarum horarum spatio effectum suum praebet. Manifestum hujus rei argumentum observatione sexta continetur, in qua, ut supra commemoratum est, pulvere dua-

bus ante paroxysmum horis insperso multo lenior paroxysmus extitit.

Martinus, filius, externam Chininii applicationem imprimis in iis aegrotis sanandis commendat, qui morbo saepe recurrente debilitati sunt, et in quibus cum internae pulveris doses, et majores quidem, datae frustra essent, salutis spes plus minus minuta est. Commendat porro in sanandis infantibus, ubi internus hujus remedii usus locum habere nequeat; postremo in affectionibus stomachi inflammatoriis adhibendum censet.

In febribus malignis, ubi frustra China aut Chininium interno usu adhibebantur, et ubi maximi interest, morbi impetum quam proxime repellere, negare equidem velim, hanc sanandi rationem admodum commendabilem videri; etenim quaeri jure potest, an externo hujus remedii usu, si aegrotus Chinae receptivitate caret, repelli febris possit. In ejusmodi casibus restant alia remedia plura, sicuti Ferrum zooticum, Cuprum ammoniacale, alia, quae in nosocomio caritatis saepius adhibita, felicissimum eventum habuerunt. — In febribus inveteratis, ubi plerumque systema lymphaticum morbo affectum est, cujus rei signum est facies

cachectica, digestio laesa, oedema pedum etc., remedii alicujus absorptio plane cogitari nequit. Probatur hoc eo, quod in tertia et quarta observatione commemoratum est.

In febribus nondum inveteratis, praestantior est Chinae aut Chininii usus internus; namque eadem fere dosis in usu externo requiritur. Interdum quidem pauca tantummodo grana ad febrem repellendam externe adhibita sufficient, sed quanta dosi ad sanandum morbum opus sit, certa ratione colligi nequit. Molestiis usus internus plane caret, et dolore, qui vesicatorio remediique applicatione efficitur, aegrotus liberatur.

Martino minime assentiri possum, dicenti, in sanandis infantibus, qui internum hujus remedii usum non patiantur, externum maxime commendandum esse; facile enim vehiculis involvi ejusque amaritas leniri potest. Jam qui infans hoc etiam respuit, clysmatis ope sanari potest. Quem fugiat, cutem leviter tantummodo apud infantes irritatum, saepius eklampsiam etc. producere, et praevidere nulla ratione possumus, quantum detrimentum vesicatorii et Chininii applicatione dolorosa effici possit. Externum igitur Chininii usum apud infantes rejiciendum esse, persuasum habeo.

Eodem modo neque affectiones inflammatoriae stomachi externum Chininii usum admittunt. Si aegrotus affectionibus stomachi inflammatoriis, et febre intermittente uno eodemque tempore effectus est, ita ut alter morbus cum altero non cohaereat, inflammationis sanatio prima est indicatio, secunda, febris minus periculosae repulsio. — Stomachi affectio inflammatoria, quando febri efficitur, internum Chininii usum, si omnino febris repellendae indicatio

adest, nequaquam impedit. Chininium enim, ubi cum succo gastrico coalescit, haud quaquam eam affectionem excitat, ae si idem cuti, epidermide privata, sit adhibitum. Ne minima quidem irritatio efficitur ei, qui bona valetudine gaudet. Egomet tempore matutino granis sex Chininii muriatici usum esse memini, neque ullam umquam molestiam sensisse.

Complicatio postremo febris intermittentis cum Angina etc. ubi cujus cunque remedii internus usus impeditur, hujus methodi rationem commendare posset; sed, ubi celerrima febris intermittentis suppressio requiritur, clysmatis, omni incommodo carentis, ope, facilius efficitur; ubi non requiritur, removeri primum inflammatio, febrisque deinde interno Chininii usu sanari potest. — Est igitur, ut arbitror, in malignis tantummodo febribus, ubi celerrima sanatio requiritur, interno autem usu China aut Chininium nondum adhibebatur, et ubi quam plurima Chininii copia aegroto detur necesse est, una cum interno usu et cum clysmatibus conjuncta, haec methodus commendanda.

Restat, ut de infricatione Chininii in internam malarum partem dicam. Sed de ea, quoniam duo tantummodo experimenta facta a me sunt, quorum alterum ut dixi, infelici eventu erat, felici alterum, equidem judicare nunc non ausim. Videntur tamen dolores, qui infricationibus illis exorti sunt, parum commendare hancce sanandi rationem.

Colligi igitur potest, hanc methodum, quae maximam laudem apud Franco-gallicos medicos assecuta est, maxime indignam esse, quae eandem apud nos mereatur,

Vitae

et

Studiorum Cursus

ex decreto gratiosi medicorum ordinis

adjectus.

Ego Fridericus Christianus Carolus Lehmann, Dachvigii, qui vicus prope Erfurtum situs est, a. d. XVIII. April. anni MDCCCIV a patre optimo Carolo, et matre e gente Bruchliana, natus, confessioni evangelicae addictus sum. Septem annos agens, presbytero Grosfahnerniano traditus sum, qui latinas graecasque litteras mecum impertiret. Hunc relinquens, gymnasium Erfordense frequentavi. Deinde gymnasii Gothensis discipulus per sex annos, Doeringii, viri reverendissimi, lectionibus interfui, Berolinumque petii anno MDCCCIII maturitatis testimonio praeditus. Ibi inter cives Instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, per quadriennium his praelectionibus interfui virorum summorum:

Illustr. Rudolphi de methodologia et encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia dentium et organorum sensuum et de anatomia comparata disserentem audivi. Osteologiae, splanchnologiae, syndesmologiae et anthropologiae forensis praecepta accepi ab Illustr. Knape. Eodem et Illustr. Rudolphi in arte cadavera ritè dissecandi praeceptoribus gravisus sum. Artem formulas medicinales concinnandi mihi tradidit Illustr. Knape. Botanicen, historiam naturalem universam et toxicologiam Illustr. Link, zoologiam Illustr. Lichtenstein, ejusque partem de entozois Illustr. Rudolphi; physicen, chemiam et pharmaciam Cel. Turte et Illustr. Hermbstaedt mihi tradiderunt. De physiologia, tam generali, quam speciali, Cel. Eck et Illustr. Rudolphi praelectionibus

adfui. Pathologiae generalis, semiotices Illustr. Fr. Hufeland, therapiae, tam generalis, quam specialis Illustr. Illustr. W. et Fr. Hufeland, pathologiae specialis et de morbis mentis nec non syphiliticis doctrinae Illustr. Horn praeceptores fuerunt. Materiam medicam, Therapiam fontium medicinalium, et experimenta in subitaneis vitae periculis instituenda Illustr. Osann me docuit. Mineralogiam Cel. Rose mihi tradidit. Celsi de medicina et Burserii libros Cel. Hecker mihi interpraetatus est. Interpretem Arati poetae Cel. Ideler audivi. Chirurgiam generalem, fascias applicandi praecepta, de ossibus fractis et luxatis doctrinam, artemque obstetriciam Illustr. Kluge me docuit. Tradidere mihi ophthalmiatricen Illustr. Juengken, chirurgiam specialem Illustr. Rust, akiurgiam Illustr. de Graefe, Rust et Kluge. Adfui exercitationibus clynicis medicis Illustr. W. Hufeland, Neumann, chirurgicis Illustr. de Graefe, Rust et Kluge.

His studiis peractis in nosodochio caritatis Berolinensi per annum medico-chirurgi inferioris munere functus sum.

Jam vero tentamine atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero, fore, ut hac dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur. Quo facto Weissenfelsiam me conferre jussus sum, ut medici militaris officiis mihi traditis satisfaciam.

Theses defendendae.

I.

Externa Chininii applicatio haud est commendanda.

II.

Pulsus est inconstans morborum signum.

III.

Extractio cataractae depressioni in universum praeferenda.

IV.

Exanthemata pro crisi habenda.